

PRAXIS CONFESSARII
AD BENE EXCIPIENDAS CONFESIONES

PRAEFATIO EDITORUM

Magno Theologiae moralis operi addenda esse duximus duo minora S. Doctoris opera, quorum alterum *Praxis Confessarii*, alterum *Examen Ordinandorum* inscribitur, atque hac in re ipsius S. Auctoris exemplum secuti sumus.

Et *Praxim* quidem, italice scriptam sub titulo: *Pratica del Confessore, per ben esercitare il suo ministero*, S. Alphonsus prima vice publici juris fecit in secunda Theologiae moralis editione (Neapoli, 1755), ubi in calce posterioris voluminis adjecta reperitur. Quem libellum separatim etiam edendum curavit Neapoli, eodem anno 1755.

Praxis
italice pro-
diit anno
1755.

Omnes fere auctores qui *Praxim* memorant, ejus primam editionem anno 1748 adscribunt. Verum ipsi decepti sunt ex quadam Alphonsi epistola, quae data fertur die 31 Maji 1748, ubi nempe S. Doctor, Patri cuidam S. J., cujus nomen non liquet, haec annuntiat: « Mitto tibi librum *Pratica del confessore*, a me nuperrime in lucem editum, qui revera compendium est magni operis Theologiae moralis prius a me conscripti¹ ».

Et non
anno 1748.

At certum est, errasse eum qui in hac epistola annum 1748 legisse putavit.

Nam 1^o Uti constat ex quibusdam manuscriptis, in archivio nostro generali asservatis², prima editio Theologiae moralis prodiit solum mense Septembri anni 1748. — 2^o Facultas imprimendi primam Theologiae moralis editionem data fuit ab Ordinario die 23 Julii 1748 et a revisore regio die 27 Julii ejusdem anni. Quomodo autem S. Doctor, die 31 Maji 1748, scribere potuisset quae leguntur in epistola supradicta? — 3^o In alia nulla S. Doctoris epistola ante annum 1755, de hoc opere fit mentio. Praeterea

Probatur.

¹ « Gl'invio la *Pratica del confessore* che ultimamente ho dato alla luce, che in sostanza è un compendio dell'opera grande di Morale che prima feci ». Lettere di S. Alfonso, Corrispondenza generale, epist. 99, editio romana 1887, exscribens epist. 9, editionis romanae 1815, vol. 1, § 1.

² Sub titulo: *Commentaria de Vita S. Alphonsi et de rebus Congr. SS^{mi} Redemptoris* (20 vol. in-fol., ms.; tom. 3, pag. 275). Et cfr. Aug. Berthe, S. Alphonse de Liguori, lib. 2, cap. 18, v. f.

servantur in nostro archivo plures ex litteris gratulatoriis, quas, sub finem anni 1748, edita primum Theologia morali, auctori Alphonso rescripserunt amici ac praesules. Jam vero nemo eorum ne verbum quidem facit de opere *Practica del Confessore*. — 4° S. Auctor, quum, die 8 Junii 1755, Benedicto XIV alterum offerret volumen Theologiae moralis, secunda vice excusae, haec ad illum scripsit: « Sanctitati Vestrae mitto volumen secundum Theologiae moralis, cui elaborando duos annos insudavi... De iis quae ad praxim pertinent, compendium *postea* feci lingua vernacula illudque inserui in Opere, et seorsim quoque edidi¹ ». Atque iisdem fere verbis usus est scribens ad typographum Remondini².

Haec autem omnia explicari non possent, si jam, anno 1748, S. Alphonso publici juris fecisset opus suum *Practica del Confessore*.

Conclusio. Sit ergo nostra conclusio: epistolae S. Doctoris, de qua agitur, falso appositum fuisse in exemplaribus prelo editis annum 1748; et revera esse legendum diem 31 Maji 1758³. Haecque conclusio confirmatur ex eo quod, ineunte anno 1758⁴, S. Doctor primam absolverat editionem sui operis *Istruzione e Practica per un confessore*;⁵ quem quidem librum, uti patet ex suis epistolis, S. Doctor modo appellabat « *la Practica grande*⁶ » modo « *la Practica*⁷ », modo « *il Compendio della Morale*⁸ ». Quae omnia luculenter explicant modum loquendi adhibitum in epistola data die 31 Maji 1758.

His praejectis de anno quo prodiit libellus *Practica del Confessore*, dicendum superest de sorte quam habuit.

Illum tanti faciebat Alphonso, ut non dubitaverit asserere sine hac appendice suam Theologiam moralem « *mancam esse ac imperfectam*⁹ ». Quapropter sedulo curavit ut in omnibus Operis majoris editionibus insereretur.

Sed cum jam a tertia recusione, omnes editiones Venetiis typis Remondianis prodierint, indeque in varias Europae partes diffunderentur, necesse erat hoc opusculum in latinum verti sermonem. Quae versio partim a S. Do-

¹ « Invio a V. S. il secondo tomo della Morale che mi ha costato due anni di fatica... Delle materie pratiche appartenenti all'istruzione de' confessori, ne ho fatto poi un ristretto in lingua volgare e l'ho inserito nell'opera e l'ho stampato anche a parte ». Corrisp. generale, epist. 197.

² Cfr. Corrisp. speciale, epist. 13, diei 12 Jun. 1756 et epist. 14, diei 14 Jun. 1756.

³ Cum desit in archivo nostro autographa haec epistola, dicendum nobis est, aut irrepsisse mendum typographicum in prima editione Romana (1815), aut perperam lectum fuisse scriptum originale, quod facile accidere potuit, quia in manuscriptis S. Alphonsi nota numeraria 4 parum differt a 5. Cfr. Lettere di S. Alfonso, edit. rom. 1887, pag. ante praefat. tom. I.

⁴ Corrisp. speciale, epist. 36, diei 10 Mart. 1758.

⁵ Opus quod a secunda editione titulum habuit: « *Istruzione e pratica per li confessori* ».

⁶ Corrisp. speciale, epist. 25, diei 18 Dec. 1756; epist. 27 diei 23 Jan. 1757; epist. 34, diei 22 Jul. 1757, etc.

⁷ Corrisp. speciale, epist. 35, diei 28 Aug. 1757; epist. 37, diei 14 Apr. 1758; epist. 39, diei 5 Jun. 1758; epist. 40, diei 2 Jul. 1758, etc.

⁸ Corrisp. speciale, epist. 23, diei 9 Oct. 1756; epist. 30, diei 15 Apr. 1757; epist. 33, diei 2 Jun. 1757; epist. 36, diei 10 Mart. 1758; epist. 41, diei 16 Jul. 1758, etc.

⁹ Corrisp. speciale, epist. 19, diei 1 Oct. 1756.

ctore, partim, ejus jussu, a duobus Sodalibus confecta est. Horum tamen interpretationem S. Auctor, ad Remondinium scribens, promisit se esse revisurum¹. Quin etiam, uni ex interpretibus haec mandavit: « Vacuum relinque dimidium paginarum marginem, ubi, si opus fuerit, addere aliquid possim² ».

Haec igitur versio latina sub titulo: *Praxis confessorii ad bene excipiendas confessiones*, primum addita fuit tertiae editionis Theologiae moralis, quae anno 1757 Venetiis prodiit. Ex eo tempore omnes majoris Operis editiones quae, vivo Alphonso, typis sunt mandatae, item ceterae fere omnes quae post ejus mortem ab aliis accuratae fuerunt, hanc *Praxim* in fine adnexam habent.

Seorsim vero, dum vixit Auctor, pluries edita est. Et latine quidem prodiit anno 1764, Venetiis, typis Remondini, quae editio sic inscribitur: *Praxis confessorii ad bene excipiendas confessiones, ad instructionem tyronum confessoriorum. Opus in hac novissima editione ab Auctore recognitum et pluribus additamentis locupletatum*³. Iisdem typis iterum excusa est Bassani et Venetiis, anno 1781⁴. Ac paulo ante, Syracusis prodierat anno 1776, sic inscripta: *Praxis confessorii ad rite excipiendas confessiones. Opus Alphonsi de Ligorio, episcopi Sanctae Agathae Gothorum, nunc pluribus partibus auctum, emendatum et illustratum a Mercurio Maria Teresi, siculo presbytero missionario*. Sed, uti ex titulo patet, haec inter editiones *Praxis* alphonsoanae computari nequit. — Italice autem prima vice separatim evulgata fuit, curante S. Doctore, ut supra diximus, statim post secundam editionem Theologiae moralis (Neapoli, 1755), deinde Venetiis, cura Remondini, statim post tertiam editionem (1757)⁵. Iterum prodiit Neapoli, anno 1760, apud Christophorum Migliaccio, et tandem Venetiis, anno 1771, apud Joannem Vitto, haecque editio italica revisioni Apostolicae subjecta fuit.

Jamvero si editiones annorum 1755 et 1757 excipias, ceterae omnes quae separatim prodierunt, sive italicae, sive latinae, inscio aut certe non praemonito S. Doctore curatae sunt; qua ex re facile patet cur nulla earum perfecte concordet cum textu a S. Alphonso reviso, qualis in sua Theologia morali reperitur.

Ad nos quod attinet, in adornanda hac nostra critica editione, easdem normas secuti sumus, quas desideratissimus Pater Gaudé in Praefatione hujus editionis, tom. I, pag. XLII-XLV, sibi praestituit. Quam ob rem, primo textum

¹ « Non dubiti, perchè io medesimo la rivedrò ». Corrisp. speciale, epist. 16, diei 20 Jul. 1756.

² « E scriva a mezzo margine, acciochè io vi possa aggiungere qualche cosa che occorre ». Corrisp. speciale, epist. 17, diei 24 Jul. 1756.

³ Haec editio mera est recusio *Praxis*, qualis inserta fuerat in quinta editione Theologiae moralis, anno anteriori evulgata.

⁴ Remondinius in hac editione inepte recusit textum prioris suae editionis anni 1764, neglectis additamentis et correctionibus a S. Alphonso apposis in sexta editione Theologiae moralis, anno 1767.

⁵ Cfr. Corrisp. speciale, epist. 34, diei 22 Jul. 1757, et epist. 14, diei 16 Jun. 1756.

Theologiae
moralis ad-
ditur.

Editiones
latinae se-
orsim fa-
ctae.

Editiones
italicae.

Quid prae-
seferat haec
nova editio.

Libellus
latine ver-
titur.

adoptavimus qui in nona Theologiae moralis editione, ab Apostolica Sede approbata, exhibetur; quem tamen, ubi certus irreperit error, correximus, collatis sedulo priscis editionibus, ab ipso S. Auctore curatis sive latinis, sive italica (anni 1755); quod si qua varians occurrit lectio alicujus momenti, eam in ima pagina transcripsimus. Quia vero, ut supra diximus, ipse S. Doctor prius opusculum italice composuit, ejus autem versionem latinam, magna saltem ex parte, aliis commisit, idcirco, sicubi versio haec est aperte manca aut erronea, eandem ex textu primigenio emendavimus. Denique omnes tum ipsius S. Alphonsi, tum aliorum auctorum allegationes, diligenti inquisitione juxta easdem Praefationis leges recognovimus et correximus.

EDITORES.

INTRODUCTIO

Quantum
praemium
accipient in
caelo boni
confessarii,

1. - Magna utique erit merces, qua in aeternitate compensabuntur boni confessarii, et de sua praedestinatione ita securi sunt ii qui se ad animarum salutem occupant, ut Jacobus Apostolus (v, 20) perspicue hoc testetur his verbis: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus* (nempe ejus qui converti fecerit, et ut loquitur textus graecus^{a)}, *animam suam*) a morte, et operiet multitudinem peccatorum.

a quibus
pendet sa-
lus populi.

Sed luget atque lamentatur Ecclesia, videns tot filios suos propter malorum confessariorum sive imperitiam sive incuriam sive impietatem ad gehennam destinari. Etenim ex illorum bono aut malo regimine potissimum populi pernicietas aut salus pendet. *Habeantur idonei confessarii*, dixit S. Pius V^{b)}, *ecce omnium christianorum omnimoda reformatio*. Non enim est dubitandum, quin, si omnes confessarii ea pollerent scientia et morum bonitate, quas tantum ministerium exigit, nec mundus ita peccatorum coeno deturpatus esset, nec infernus tot baptizatorum animabus repleretur.

Specialis
bonitas in
ipsis requi-
ritur,

Et cum *bonitatem* dico, non hic inteligo illam solam habitualementem, seu simplicem gratiae statum, sed positivam bonitatem quae ministrum poenitentiae decet, cui tamquam nutrici duplex alimentum opus est, unum ad sui, alterum ad prolis sustentationem. Quoniam, cum confessa-

rius aliorum conscientias dirigere debeat, maxime ei cavendum erit, ne nimia indulgentia aut immoderato rigore erret. Debet enim tot peccatorum ulcera tractare, quin se deturpet: cum mulieribus et adolescentibus saepe versari, eorum confessiones de iis rebus, de quibus magnopere erubescunt, excipiendo, quin sibi aliquid damni evenisse sentiat: cum personis praeclaris, abscisso omnium humanarum rerum respectu, magna fortitudine armari. Et, ut omnia unico verbo complectar, debet esse in charitate dives, in mansuetudine mellifluus, in prudentia gravis. Qua de re, ut hae omnes partes, ut par est, adimpleantur, non vulgari opus est bonitate, quam certe nunquam assequetur ille, cui oratio non est perfamiliaris, nec meditatio est quotidiana. Etenim alia via lucem et gratias huic tanto muneri, etiam ipsis angelicis humeris, ut dici solet, formidando, necessarias obtinere nemo potest.

ac proinde
oratio assi-
dua.

Sed deveniamus ad nostri laboris institutum, nempe ad praxim confessiones excipiendi, de qua dumtaxat hic fiet sermo. In hac praxi multas delibabo doctrinas ad ipsammet spectantes; sed ne repetam ea quae in Opere morali fusius descripsi, hic tantum annotabo loca operis, ad quae lectorem remittam, ut copiosius doctrinas rationibus et auctoritatibus confirmatas perlegat.

Scopus
S. Doctoris.

i. - ^{a)} Revera non concordant codices graeci. Aliqui, ut ostendit Tischendorf, habent solum *σώσει ψυχήν, salvabit animam*, alii *σώσει ψυχήν αὐτοῦ, salvabit animam ejus*. Unde quidam commentatores, legentes per spiritum asperum αὐτοῦ, verterunt *suam*.

^{b)} Hujusmodi sententiam saepe protulit S. Pius V in suis epistolis (editis a Francisco Goubau, Antverp. 1640), sed loquens in ge-

nere de sacerdotibus. Quod autem hoc dixerit in specie de confessariis, quidquid acriter indagavimus, non potuimus invenire nec in ejus bullis (in Bullar. Mainardi), nec in ejusdem Vita descripta sive ab Hieronymo Catena (Rom. 1712), sive a Paulo Maffei (Venet. 1712), sive ab Antonio Gabutio (ap. Bollandist. Acta SS., mense Majo, tom. 1, pag. 621 et seqq.).